1.<sup>a</sup> conclusio: Occidere aliquem se defendendo sine moderamine inculpatae tutelae est peccatum.

2.<sup>a</sup> conclusio: Licitum est me defendere cum moderamine inculpatae tutelae licet sequatur mors.

3.<sup>a</sup> conclusio: Ilicitum est ut quis intendat occidere hominem ut seipsum defendere nisi autoritate hoc faciat ut miles in bello et iudex in civitate. Circa hoc vide Soto.

Circa 3<sup>am</sup> conclusionem vide Cajetanum et Soto, et dico tria: 1.<sup>o</sup> quia licet se defendendo facere omnia necessaria ad meam defensionem etiam si videam evidenter quod in isto actu occidam contrarium, et tunc formaliter non elligo mortem (fol. 121, v) illius sed actum meae defensionis quidquid inde sequatur et non pecco quia hoc est meum jus nulli facio injuriam.



2.<sup>a</sup> dico quod verissimile videtur secundum D. Thom. et veritatem quod nunquam licet habere hanc volitionem formaliter volo occidere istum ut me defendatur sed solum hanc volitionem formaliter vel virtualiter volo me deffendere ut conservem meam vitam quidquid vide sequatur patet ex conclusione D. Tho. et solutionibus argumentorum, et patet quia nunquam licet habere hanc volitionem volo occidere innocentem ut consequar victoriam, sed volo furrim expugnare ad victoriam consequendam quidquid inde sequatur, ergo nulli licet occidere aliquam ut se deffendat.

3.<sup>o</sup> dico quod quando aliquis se deffendit cum modere mine inculpatae tutelae licet aliquando se offerret, haec solutio volo occidere ut me tuear pie explicanda est, id est, volo facere actum ut me defendam licet inde sequatur mors.

2.<sup>o</sup> Nota quad sine dubio non solum licet se deffendere vim vi repellendo ut dictum est supra de bello defensivo sed etiam licet omittere defensionem et permittere suam mortem, et non tenetur se defendere cum tanto periculo proximo, sed est consilium Evangelicum ut non se defendat, hoc est contra abulens. 2.<sup>a</sup> parte super Josue cap II, quaest, II qui tenet quod tenetur sub praeepto se defendere cum potest, non obstante morte alterius, hoc est, proculdubio falsum et contra perfectionem evangelicam. Unde homo tenetur praeepto affirmativo conservare vitam et se deffendere, et ita aliquando propter majus bonum potest omittere deffensionem, potest pro fide, pro republica, pro bono spirituali fratris, et ita quia agresor est in mortali, potest agressus non se deffendere ut agresor habeat locum penitentiae, et aliquando non teneretur se defendere, ut si ex morti invasoris sequatur magnum malum in republica, supra diximus quaest, 26 art. 3, et Soto hic art. 6, et quia occidere se est praeeptum negativum nunquam licet quia est malum per se et nunquam licet, et licet exponere se evidenti periculo mortis quemadmodum

est majus bonum secundum prudentiam, ita quod non sit vitae prodigalitas, et si aggressor est homo nequam cujus vita esset perniciosa in republica et ita putantur fore in futurum esset peccatum illum occidere, unde licet tuendo res suas temporales occidere invasorem cum moderamine inculpatae tutelae, dummodo res sint magni momenti et non parvi, est communis sententia et D. Tho. ad 2<sup>m</sup> te in argumento sed contra, verum est quod D. Aug. lib. 1.<sup>o</sup> de libero arbitrio, cap. 5, exprese videtur contrariae fuisse sententiae.—Idem dico quod jus deffensione honoris licet occidere invasorem, unde si aliquis est invassus ab alio et si invassus fugit vitatur rixa sed fuga est ignominiosa et vituperabilis inter milites non tenetur fugere, sed persistat et defendat se. Haec est sententia communis ut dicit Cajetanus in Summa verbo excommunicatio, cap. 10. Idem tenet Silvester verbo excommunicatio 6, (?), 4 particula 9. Sed nota quod se invassus potest fugere sine ignominia ut si est monachus sacerdos, clericus, tenetur fugere, sed ille qui occideret vel mutilaret pro defensione rerum temporalium et honoris et si non peccaret esset irregularis propter effusionem sanguinis quia in clementina unica, cap. unico solum excipiuntur furiosi, infantes, dormientes ab irregularitate (fol. 122, r), et ille excipit qui mortem aliter non valet vitare, suum occidit aut mutilat invasorem, reliqui sunt irregulares quia de communi jure antiquitus et tempore D. Tho. ut hic habet ad 3.<sup>a</sup> ille qui occidit alium licet sit sine peccato manet irregularis, ut patet in iudice qui condemnat iuste ad mortem quia irregularitas consequitur actum homicidii.—Ultimo nota quod licet aliqui aliquando dixerint esse licitum prevenire hostem in aliquo casu arctissimo, sed veritas est quod licet se deffendere, sed non agredi quam prudentiae relinquendum est ad iudicandum post factum quando fuit aggressio quando vero deffensio, sed ante factum istud de preventionem non est divulgandum, ne homines majorem summant licentiam quam opus est. Vide de aliis multis Soto.

**ART. 8****Utrum aliquis causaliter occidens  
hominem incurrat omicidii reatum.**

1.<sup>a</sup> conclusio: In duobus casibus incurrit reatum omicidii vel si dabat operam rei illicitae vel si opus erat licitum sed non adhibuit sufficientem diligentiam.

2.<sup>a</sup> conclusio: Secundum jura quod ad irregularitatem si dabat operam rei licitae adhibita sufficienti non manet irregularis.

3.<sup>a</sup> conclusio: si dabat operam rei illicitae vel licitae sine diligentia sufficienti manet irregularis.

De hoc vide Cajetanus hic et Soto art. ultimo hujus quaestionis. Precipue quaestio erat utrum dans operam rei illicitae maneat irregularis, sententia communis juristarum est quod sic, sed Victoria, Soto, et alii tenent quod non ex eo solum nisi in clericis esset opus periculosum, como el tornear, justas, et de hoc vide 1.<sup>a</sup> 2.<sup>a</sup> quaest. 96, art. 3, et quaest. 73 art. 8, ubi tractat quando imputatur opera facta per ignorantiam,—Circa solutionem 2.<sup>a</sup> ubi agit D. Tho. de percussore mulieris pregnantis de quo agit Cajetanus hic,—Circa solutionem ad 3<sup>m</sup> nota quod ait Cajetanus in favorem illorum habentium privilegium dispensandi in irregularitate, et verbo irregularitas ait quod ille qui privilegium habet dispensandi in irregularitate quaquumque excepto homicidio voluntario, et bigamia, si occidit hominem tamen justa quia erat iudex vel in bello justo ait quod potest dispensari cum illo hoc credo magis quam primum.

Consulto omissi quaestionem, 65 quia reducitur ad quaestiones de homicidio, et quaestionem 66, qui de his quae dicta sunt de restitutione et dominio potest intelligi.

Qaest. 67, de vitiis oppositis justitiae commutativae.

## ART. 1

**Utrum aliquis possit iuste iudicare eum qui non est sibi subjectum.**

Conclusio est negativa.

(Fol. 122, v).

Nota quod magister sententiarum nihil de hoc agit, sed doctores in 4 d. 17 tractant hoc et d. 48, Soto agit de hoc lib. 5, de iusticia, quaest. 4, Gabriel aliquid de hoc tractat in quaest. 4, d. 15 quaest. 6, Sumistae verbo iudex et verbo iudicium.

Nota 2.<sup>o</sup> hanc conclusionem esse certam citra ullam dubitationem. D. Gregorius hoc dicit expresse in loco citato a D. Tho. in argumento sed contra et habetur in responsionibus ad Augustinum archiepiscopum cantuariensem, cap. 9 et nos tractavimus supra quaest. 60 art. 6 et hinc sequitur quod seculares usurpant iudicium quod nullum est quando volunt iudicare ecclesiasticas personas.

Nota 3.<sup>a</sup> quod quatuor modis potest quis habere iurisdictionem ordinariam delegatam, vel a Deo delegata vel ab homine, 3.<sup>o</sup> ex voluntate litigantium quam habent iudices arbitrii, 4.<sup>o</sup> ratione delicti ut ait D. Tho. hic ad 3.<sup>m</sup>.

Circa solutionem ad 2.<sup>m</sup> nota 1.<sup>o</sup> quod Christus non ellegit Pilatum iudicem arbitrum, neque illi contulit potestatem delegatam ut illum iudicaret, sed ita se gessit ac si esset unus de populo iudeorum et ait Cajetanus et Soto quod Pilatus non usurpavit iudicium, noluit hic Cajetanus disputare an imperator romanorum esset tiranus in iurisdictione vel usurparet iudicium, et per consequens ministri eius, sed quod Pilatus usu usurpavit iudicium iudicando Christum, sed quod Christum iudicavit sicut alios. Sed rei veritas est quod Christus erat exemptus absolute a quacumque potestate mundi ut patet Luc. 17, ergo liberi sunt filii licet non esset rex temporalis Christus, hoc enim cadit sub disputatione an Christus in quantum homo fuerit

rex temporalis necne. Soto hic et lib. 4 de iustitia q. 4 art. tenet quod non, hoc tamen est receptum ab omnibus quod Christus non accepit usum potestatis regiae, sed Christus erat exemptus sicut modo est papa et multo melius, immo hoc habet papa quia vicarius Christi. — 2.º Nota quod de Leone papa 4 hoc factum habetur: 2.º q. 7 nos si, circa hoc factum movet hic Cajetanus tria dubia an papa possit se subicere iudicio alterius et in quibus potest et quam vim habet sententia talis iudicis. Ad hoc dico 1.º quod sic constat ex illo cap. Papa potest se subicere iudicio alterius ut ita fuit hic Leo papa 4 imperatori, imperator enim in isto facto vel alio non habet potestatem ordinariam sed delegatam et dependentem a Papa. 2.º dico quod papa potest se subicere iudicio alterius in his rebus vel sententis ferendis quas potest per se ferre et profere, sed in aliis quas non potest facere per se non potest, verbi gratia est controversia an ista posesio expectet ad cameram apostolicam vel ad alium, in hoc et similibus capitibus potest se papa subicere iudicio alterius, et ita fuit in hoc facto Leonis. — exemplum secundi Papa non potest seipsum deponere, nec excommunicare, nec punire pena corporali, non potest committere iudicium alteri, de hoc Turrecremata super decretum, et latius in Summa (lectio?) lib. 2 cap. 104 et 105 unde glossa quae dicit quod ex commissione papae aliquis potest ipsum Papam deponere falsa est ut bene notavit Turrecremata. — /fol. 123, r./ 3.º dico quod illa sententia talis iudicis non habet vim coactivam simpliciter, quia papa potest de facto nolle obedire, annullare, quassare, auferre potestatem ab illo et factum tenebit quia semper pendet ab illo, tamen habebit vim coactivam in conscientia quia tenetur parere sententiae justae quia obligat et si sine causa auferat potestatem ab illo, licet factum teneat peccat mortaliter.

Art. 2. — Utrum iudici liceat iudicare contra veritatem quam novit propter ea quae in contrarium proponuntur, utrum etiam possit iudicare secundum allegata et probata licet contrarium sciat privata persona.

Conclusio est affirmativa.

Debium grave est. Utrum iudex debeat iudicare secundum allegata et probata et possit condemnare innocentem quando probatur reus licet sciat evidenter eum esse innocentem. Circa quod sunt tres sententiae. 1.<sup>a</sup> est contra D. Tho. quod nunquam licet, et est Panormita. et aliquorum juristarum, et summae angel verbo iudicare quaest. 7 et Nicolai (¿de?) Lira Exod. 29 circa illud insontem et justum non occides. Probatur quia alius faceret conscientiam est 4<sup>m</sup> argumentum D. Thomae. - 2.<sup>o</sup> quia aliter iudicando faceret contra veritatem et esset mendax quia in sententia dicit istum rerum esse mortis quod falsum est. — 3.<sup>o</sup> quia occidere innocentem est ex natura sua et intrinsicè malum, ergo in nullo casu et nulla ratione licet sicut nec a adultereri. Antecedens est notum ex dictis supra quaest. 64 art. 6 quia occidere innocentem est actus cadens supra materiam indebitam. Consequentia patet, et confirmata. Exodo 23 non acquiesces plurimorum sententiam ut a vero debies, et postea, insontem et justum non occides, ergo in iudicio non sunt audiendi testes mendaces.

2.<sup>a</sup> sententia est (est) melior quia in civilibus causis vera est sententia D. Tho. (Unde?) tamen in criminalibus haec tenet Adrianus, quolibet 6 art. 3 Probat primam partem quia ( ) liceat quemadmodum ex consensu populi recipiuntur leges et iusta et ita populus habet potestatem consentiendi et conferre jus sic iudicantibus secundum allegata et probata. Confm. quia pro bono publico potest iudex privare aliquem bonis suis sine culpa. 2.<sup>a</sup> pars probatur 3.<sup>a</sup> ratione posita quia est intrinsicè malum, sequitur hanc sententiam alii quos citat Silvester et ait Adrianus hanc esse communem sententiam theologorum quod tamen est falsum.

3.<sup>a</sup> sententia est D. Tho. quia absolute sine exceptione iudex potest et debet iudicare secundum allegata et probata, et non secundum probatam scientiam. Hanc sententiam tenent omnes thomistae. Cajetanus, magister Soto

lib. 5 de iustitia q. 4 art. 2 et Silvester verbo iudex 2 d. 5 et ibi citat alios doctores pro se et contra se. Tenet hanc etiam Abulens super cap. 23. Exod. q. 6. Haec sententia est D. Tho. ubique supra q. 64 art. 6 ad 3m, qua sententia est magis consona naturali rationi et necessaria ad bonum publicum conservandum et tuendum, aliter enim sequerentur quamplurima mala quia possent /fol. 123, v./ iudices si sunt iniqui dicere: ego scio contrarium et non condemnavi quod est maximum inconveniens, et hoc iura clamant quia in cap. pastoralis, de officio et potestate iudicis delegati ( ), qui vero ibi papa jubet ut ordinarius mandet executioni sententiam et hoc ait D. Ambrosius 3 q. 7, cap. iudicem supra psalmum beati immaculati in via et sunt verba citata hic a D. Tho. in sed contra an sint D. August. ubi ait D. Tho. potest esse. Profertur quia iudex debet iudicare secundum potestatem publicam, ergo scientia seu veritas necessaria ad iudicium publicum debet esse publica, ergo debet proferre sententiam, ex imperio prudentiae politicae ergo scientia privata impertinens est ad iudicandum sicut potestas privata, ergo debet iudicare secundum allegata et probata, antecedens probatur quia illa omnia debent proportionari. Ad primum argumentum 1.<sup>ae</sup> opinionis respondeo quod id citat Adrianus, ubi supra Hostiensis concedit quod facit contra conscientiam et quod non peccat, et quod illa sententia communis vera qui facit contra conscientiam edificat ad gehennam ait quod ietelliguntur de privata persona, sed non de publica. Hostiensis deceptus est sed dicimus nos quod iudex ferendo sententiam illo modo facit secundum veram conscientiam quia illa habet hoc iudicium practicum, licitum est mihi hic et nunc iudicare secundum allegata et probata, et hoc iudicium est sanum et, verum quod applicat operi. Hostiensis deceptus est quia putat idem esse facere contra scientiam et facere contra conscientiam, dicimus non cum D. Tho. quod licet iudex faciat contra scientiam privatam non tamen contra conscientiam. Sententia.— Ad 2<sup>m</sup> respondeo

negando antecedens quia illa sententia est vera ut subest publicis probationibus ita quod habet hunc sensum iste est reus mortis secundum allegata et probata quod est verum, et non dicit absolute iste est reus mortis, ita enim esset falsa, sicut in speculativis dicimus Deus scivit ante Christum fore, ergo ante Christus erit, haec consequentia est simpliciter contingens, sed ut subest antecedenti est necessaria, idem est de haec lapis intelligitur, ergo est immaterialis, haec consequentia est simpliciter falsa sed ut subest antecedenti est vera, de hoc S. Tho. 1.<sup>a</sup> parte q. 14 art. 13.

Ad 3<sup>m</sup> distinguitur antecedens per se loquendo et ex intentionem est intrinsice malum, sed per accidens et sicut intentione non ut patet in bello justo, etiam diximus supra non licet privato homini occidere alicuius hominum et tamen licet occidere alium se tuendo quia non tenetur omittere actum propriae defensionis licet videat quod aggressor est innocens secundum quod putat me inimicum suum esse, ille invincibili ignorantia agreditur, ita hic ait Cajetanus quod iudex habet potestatem et ius bonum tuendi publicum et utendi mediis publicis scientia, gladio, potestate, nec tenetur omittere actum jurisdictionis suae publicae, licet sequatur mors innocentis, sed testes falsi et acusatores falsi peccant mortaliter et ille actus iudex quando occidit illo modo innocentem et jure non cadit fortiter supra innocentem, sed supra nocentem, id est, occidit nocentem, materialiter vero occisus est innocens. Ad auctoritatem dico quod intelligitur quando sententia plurimorum potest jure repelli per juridicam exceptionem dicendo hunc testem esse falsum et alia hujusmodi ut in passione Domini dicebant multi judei crucifige, crucifige eum, et tamen Pilatus dixit, nullam invenio in eo causam, poterat illorum voces (fol. 124, r.) repellere et tamen ex metu audivit illos, et ut malus iudex judicavit, et ita quando dicit insontem et justum non occides intelligitur contra si non est probatus nocens.



Ad aliud argumentum pro sententia Adriani dico quod licet illud esset verum, jure tamen naturali nec positivo iudex publicus potest et debet proferre sententiam secundum scienciam et noticiam publicam, quidquid illud sit, et eadem est ratio de civilibus et criminalibus, sed secundum jus positivum determinantur condiciones quae sunt servandae ut cognoscatur quae notitia sit sufficiens, ad ferendam sententiam de testibus quod requirantur, haec sententia media debet solvere duo argumenta priora.

Dubitatur quid debet facere iudex in tali casu. Ad hoc omnes fatentur quod debet conari liberare innocentem et si sine scandalo potest (potest) illum dimittere, et dimittere post causam et iudicium et postea testificari pro illo, et si ferat sententiam concedere appellationem, et ante alium iudicem poterit eum defendere et causam illius gerere, et si est supremus iudex, ut rex, multipliciter poterit eum liberare, si vero non potest liberare illum sine scandalo potest proferre sententiam et mandare executioni quicumque iudex sit superior, nec tenetur dimittere officium secundum D. Tho. ne illum condemnet.

### ART. 3

#### **Utrum iudex possit aliquem condemnare si non sit accusator.**

Conclusio est negativa.

Nota hanc conclusionem esse veram jure humano, et multum consonam juri naturali si non est vera de jure naturali, de hoc 2.<sup>a</sup> q 1.<sup>a</sup> cap. nihil. ( ) et 4.<sup>a</sup> quaest. 4 cap. 1 et 2 ibi Fabianus pontifex ponit quatuor personas in omni iudicio: 1.<sup>o</sup> iudicem electorem, 2.<sup>o</sup> acusatores idoneos, 3.<sup>o</sup> defensores congruos, 4.<sup>o</sup> testes legitimos, et generaliter hic in omni jure datur quod nullus potest esse simul acusator et iudex. Dixi quod erat consonum juri naturali, quia aliquando non requiritur fortiter acusator sed quod adsit aliquis habens vicem acusatoris, et in bello

non contra inimicos sed contra milites proprios vix duces servant hanc formam iudicii.

Nota solutionem argumenti secundi ubi D. Tho. ponit ea quae suplent locum accusatoris et omnia sunt quinque 1.<sup>o</sup> publica infamia, 2.<sup>o</sup> evidentia facti, 3.<sup>o</sup> quando ipse iudex videt cum aliis multis praesertim si videat sedens pro tribunali, 4.<sup>o</sup> manifesta rebellio post legitimam denuntiationem, 5.<sup>o</sup> quando est enuntiatio ad vindictam pro bono publico et est in criminalibus maxime nocentibus bono publico ut hereses et proditio patriae quod est crimen lesae majestatis et ita habet ussus officii sanctae inquisitionis.

Dubium 2: In religionibus prelati possint punire sine accusatoribus. Respondeo quod servandae sunt consuetudines cujuscumque religionis in tali casu. 2.<sup>o</sup> dico quod in peccatis comunibus religiosorum in quibus franguntur leges parvae et communes non est necessarius accusator sed potest prelati punire secreto vel publice — ut si frangat silentium vel secute faciat aliquid aliud leve, et ita expedit bono religionis ita habet ussus, et ita habent constitutiones et leges (fol. 124, v.) religiosorum et in professione renuntiamus jure accusatorum et jura naturalia omnium hominum. 3.<sup>o</sup> dico quod in peccatis comunibus religiosorum propter quos puniuntur religiosi graviore pena et inde requiritur gravior infamia, prelati debet procedere via iudiciali per testes et accusatores.

#### ART. 4

##### **Utrum iudex possit licite penam relaxare.**

1.<sup>a</sup> conclusio: contra voluntatem accusatoris qui passus est injuriam nullus iudex potest relaxare penam.

2.<sup>a</sup> conclusio: contra utilitatem publicam non potest relaxare penam.

3.<sup>a</sup> conclusio: iudex inferior etiam ex voluntate accusatoris non potest relaxare penam.

4.<sup>a</sup> conclusio: iudex supremus ut princeps remittente

accusatore dum non cedat in damnum reipublicae potest penam relaxare.

Nota videndum esse Silvester. verbo iudex 1.<sup>o</sup> p. II et Cajetenus verbo iudicum peccata ubi ait quod iudex non debet facile relaxare penam etiam supremam, licet accusator remittat quia hoc communiter fit in detrimentum boni communis quia mali oderunt peccare formidine. penae, et si est facilis remissio fiunt deteriores, neque fiant facile remissiones penarum pro pecuniis quas accipiunt etiam ipsi qui passi sunt injuriam et divites fiant auditores confidentes in pecuniis, hoc multum cave, unde si ex relaxatione penarum sequitur malum in republica, quando fit contra ordinem juris non solum peccat iudex, sed tenetur restituere ut patet ex dictis supra quaest. 62 art. 7 circa illud non obstantis cum teneatur obstare ex officio, ubi definita est quaest. difficillis quando iudex qui relaxat penam contra jus teneatur restituere illam penam.

Nota 2.<sup>o</sup>: quod isti magnates, duces, comites, marchiones, etc. sunt inferiores iudices sub rege qui comprehenduntur in 3.<sup>a</sup> conclusione et ita non possunt penam relaxare, et si relaxant vel dissimulant peccant et tenentur aliquando restituere ut supra diximus et fiscalis potest prosecui causam usque ad sententiam, nota tamen quod in hoc regno est lex sententiam, nota tamen quod in hoc regno est lex in part. 7 titulo 1.<sup>o</sup> lege 22 quod remittat accusatore quo passus est injuriam iudex non condemnet eum pena corporali, etsi haec lex ut jacet, esset servanda (et si forsam esset malum regni) tamen iudices non peccarent iudicando secundum illam, sed veritas est quod haec lex non servatur. tamen est hic usus quod nisi sit crimen gravissimum et multum scandalosum, non condemnatur reus pena ordinaria, sed si delictum est tale non obstante ista lege condemnabitur pena ordinaria et regulariter condemnatur alia pena extraordinaria, et aliquando ordinaria, et servanda est consuetudo quae est optima legum interpretis.

Sed quaestio est utrum possit supremus iudex relaxare penam contra voluntatem accusatoris. Respondeo quod 1.<sup>a</sup> et 4.<sup>a</sup> conclusio D. Tho. intelliguntur regulariter sed si esset reus dignus morte multum tamen necessarius reipublicae potest princeps pro bono communi relaxare penam post sententiam vel remove accusationem ante sententiam vel non admitere accusationem quod rarissime faciendum est, hoc est secundum mentem D. Tho. quaest. sequenti art. 3 /fol. 125, r./ ad 3<sup>m</sup> et ibi Cajetanus, et Soto ibi et hic, si tamen hoc verum est sequitur quod peccant intercessores qui rogant pro viro timoratae conscientiae hoc faciunt, et ex auctoritate D. Aug. qui illud fecit frequenter ut patet Epist. 158 et alios qui ait soleo enim audire in potestate esse iudicis molire sententiam et mitius vindicari quam leges. Ad hoc dico quod huiusmodi intercessionem prudenter et discrete faciendae sunt ne delicta maneant impunita.—Dico etiam quod intercessores comuniter sunt cum accusatoribus ut remittant et dimittant accusationem, ut postea possit iudex misus vindicari secundum leges, et intercessionibus huiusmodi intelligendae sunt juxta solutionem argumendi D. Tho. et haec materia in criminalibus latius patet.